

Clemens PP. Ferrarie dominiū recipi ad iura Regi ut nunquam Rom. Ecclesia iure alienetur.

Vicarii ad eandem gubernandam Civitate delegandi nuntius.

De Potestate electionis

Et officii tempore.

cedentes etiam angustios labores & laboriosas angustias, quas olim sub servitute tyrannica subistis, & desiderantes, ut post labores & languores huiusmodi quies vobis, & tranquillitas desiderata proveniat, que tanto erit, divina gratia præeunte, gratior, quanto avidius & diutius a vobis extitit affectata: vestris supplicationibus inclinati, de Fratrum nostrorum consilio & assensu statuimus, ordinamus, volumus, præcipimus, & mandamus, & nihilominus gratiose concedimus, & auctoritate Apostolica inviolabiliter stabilimus, ut semper sub immediato dominio & protectione ipsius Romanæ Ecclesiæ Civitas ipsa cum ejus bonis, Comitatu, Territorio, & districtione subtrahi nec ab ejus dominio & jurisdictione subtrahi nec alienari perpetuo valeat quocummodo; nec ad alterius personæ, vel Civitatis, aut Communitatis dominium pervenire: quodque in Civitate ipsa semper sit unus Vicarius ponendus per Nos, Successores nostros, & eandem Romanam Ecclesiam, Clericus vel Laicus juxta nostræ, & ipsius Ecclesiæ beneplacitum voluntatis; non tamen de Domino aut Parentela seu Consanguinitate vel affinitate aliquorum Nobilium, qui habuerint dominium in Civitate prædicta, vel aliorum quorumvis nobilium de eadem.

§. 9. Qui quidem Vicarius Cives Ferrarienses, ac ejusdem Civitatis Incolas, ejusque Comitatus, Territorii, & Districtus, manuteneat ut speciales Filios & fideles ipsius Ecclesiæ prædictæ, & eorum libertates, immunitates, & jura, consilia Districtus, & Bona conservet; atque custodiat ipsos a quibuscumque potentibus, molestatoribus, vel Tyrannis, Communitatibus, ac Civitatibus, & aliis quibuscumque, eos offendere seu molestare vel perturbare volentibus, defendendo; ut possint sub manu Sanctæ Matris Ecclesiæ Matris suæ cum pace, & tranquillitate, ac libertate plenissima perpetuo remanere: Aliaque Vicarius prædictus exerceat, que ibidem fuerint oportuna; custodiamque totius Civitatis, Comitatus, & Districtus, Fortalitiorum, & Castrorum gerat; & prout temporis qualitas exiget ac requirit, equestrem fecum & pedestrem habeat comitivam.

§. 10. In electione vero seu creatione Potestatis Civitatis ipsius hoc volumus observari, quod tres personæ per ipsum Vicarium Antianis, Consilio, & Communi nominentur, qui Antiani, Consilium, & Commune, vel major pars eorum, unam ex eisdem personis, ut prædicitur, nominatis, infra sex dies in eorum, & dictæ Civitatis Potestatem eligendi habeant facultatem. Quod si Antiani, Consilium, & Commune prædicti, vel major pars eorum, infra prædictos sex dies aliquam ipsarum trium personarum nominatarum eligere non curarent; prædictus Vicarius unum de nominatis a se in Potestatem præficiat, & ille pro Potestate ab omnibus habeatur.

§. 11. Potestatis vero huiusmodi regimen per sex Mensium spatium dumtaxat perduret; & quod per tres Menses ante finem regiminis Potestatis eiusdem nominationem præscri-

ptam faciat Vicarius prælibatus: Hic autem modus, quo supra circa eligendum seu creandum Potestatem exprimitur, post biennium, vel illa, que nunc imminet, guerra finita, vendicet sibi locum; & interim solus ipse Vicarius ponat & constituat inibi Potestatem; vel, si magis vobis videbitur expediens, ex nunc idem eligendi modus obtineat & fortietur effectum.

§. 12. Qui Potestas tam in primo quam in secundo casu jurabit publice dicto Vicario in præsentia Antianorum & Consilii prædictorum, quod officium suum bene & fideliter exercebit, & faciet omnibus iustitiæ complementum, & quod servabit statuta facta & facienda, & procurabit ea, que spectant ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & bonum statum & pacificum Civitatis. Volumus etiam, quod idem Potestas, completo officio sui regiminis, sindicetur pro se & sua Familia, & alia faciat, prout extitit hæcenus consuetum. Habeat etiam Judices, Berruarios & personas alias, equitaturas etiam, & stipendia, & alia omnia juxta consuetudinem hæcenus observatam; ac etiam in Palatio, ubi nunc morantur Antiani, debeat immorari. Super interponendis autem seu emittendis, & prosequendis appellationibus, ut quorumlibet appellantium parcat expensis & laboribus, hoc servetur, videlicet quod tam in civilibus quam in criminalibus in casibus, in quibus appellationes præmissæ fuerint a sententiis & Processibus Potestatis, Judicum, & Officialium suorum, & Communis Ferrariensium, ad Sedem Apostolicam appellentur; quodque primarum appellationum prosecutio fiat coram Judice; & per dictum Vicarium & Consilium de Collegio Judicum eligatur, quem & ipsi eligendi habeant potestatem: secundarum vero apud Sedem Apostolicam fiat, vel in Curia dicti Vicarii, prout elegerint appellantes.

§. 13. Ubi vero ad ipsum Vicarium, sive inter stipendiarios & Familiares suos, in quos eum solum, & non alium, jurisdictionem in civilibus & criminalibus quibuscumque habere censemus, sive adversus eos, sive in placitis, de quibus infra dicetur, per querelam haberetur recursus appellationum, que interponerentur ab eo, quas ad Sedem Apostolicam in casibus, in quibus appellari licet, interponi jubemus, apud Sedem eandem prosecutio fiat.

§. 14. Verum, cum officium Consalonensis a modico tempore citra in Civitate ipsa incepisse dicatur, nullaque ex eo posse videatur ipsi Civitati utilitas, sed potius periculum provenire; volumus, quod officium ipsum cesset omnino, duodecim quoque Antiani de fidelioribus, melioribus, & devotioribus Civitatis ipsius eligantur per Potestatem, & Consilium cum consensu Vicarii memorati, quorum unus literatus sit Proconsul, eorumque officium duret per duos Menses, & ipsorum singuli duos Bononiens, grossos per singulos dies percipiant, in Domibus suis dormiant, nec in aliquo casu aliquam jurisdictionem exerceant; sed cum per Potestatem

De Judiciis, & appellationibus.

In casibus Vicariorum, aut ejus familiarium tangentibus Sedis Apost. pendium judicium.

Consalonensis officium castatum.

Duodecim Antiani eligendi.

De Consiliis.

De Statutorum Civitatis examine confirmatione, &c.

Militie equitatis & pedestris numerus, stipendium &c.

ac Consilium, de voluntate ac consilio ipsius Vicarii, vel ejus Locumtenentis, vocati fuerint, consulunt fideliter super iis, de quibus requirentur, & que injungentur eisdem: Qui etiam jurent in manibus dicti Vicarii, quod bene & legaliter in eorum officio se habeant; honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vestræ Matris & Domine in omnibus fideliter conservabunt: quos, si minus sufficientes reperti fuerint, idem Vicarius amovere, & alios sufficientes & idoneos substituere valeat, cum consilio Potestatis & Consilii prædictorum.

§. 15. Ceterum Potestas, Antiani, & Commune præfati eligant consilium ducentorum; sed, si majorem numerum velint, possint libere eos eligere cum Vicarii prædicti consensu, prout melius videbitur expedire, dum tamen quadringentorum numerum non excedant; quorum ducentorum officium ultra sex Mensium spatium non durabit. De juramento namque præstando per ipsos dicto Vicario, & de ipsorum seu cujuslibet eorum insufficientia, remotione, & substitutione fiat, prout de Antianis supra proxime est expressum.

§. 16. Volumus insuper, quod dilectus Filius noster Arnaldus Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, moram trahens in partibus ipsis, per se vel per alium, seu alios, videat, & inspicat Statuta Civitatis ipsius jam facta, & diligenter examineat; & utilia ac necessaria approbet & confirmet, superflua vero & inutilia damnosa & periculosa reprobet, refecet, & infirmet. Et deinde, quotiens necessarium vel utile fuerit, prædictus Vicarius a Ferrariens. Consilio requisitus, diligenti examinatione præmissa, Statuta necessaria & utilia, sibi expressa primitus, fieri consentiat ultimo modo & aliter facta eo ipso sint nulla; Et in principio & in fine addatur, quod Statuta sint talia, que honori, juribus & jurisdictioni Ecclesiæ Romanæ non derogent, & quod durent ad beneplacitum Ecclesiæ antedictæ.

§. 17. Præterea omnes redditus & proventus Civitatis ejusdem Nos & Successores nostri in Ecclesia Romana usque ad triennium percipiemus, qui ejusdem Ecclesiæ nomine leventur & percipiuntur per quatuor Viros ad id idoneos, a prædicto Vicario deputandos; quorum duo saltem sint de Civitate prædicta: quo casu omnes expensas pro defensione & tuitione Civitatis, Territorii, & Districtus prædictorum, nec non Salariorum Vicarii, Potestatis, & omnium aliorum officialium, & alias expensas fieri faciamus; vel quod percipiamus in perpetuum medietatem liberam dictorum reddituum & proventuum, & Commune Ferrariæ aliam medietatem percipiat, & de illa omnes expensas faciat prædictas, scilicet stipendia centum Equitibus, & sexcentis Peditibus, eorumque Capitaneis, qui continue sint ibidem, videlicet singulis stipendiariis Equitibus duos Equos habentibus duodecim, eisdem vero singulis stipendiariis peditibus pro eorum stipendiis duos

cum dimidio Auri Florenos pro Mensis quolibet persolvendo; & nihilominus Equorum, & aliorum, que consuetæ sunt, restitutio fiat ad arbitrium Vicarii antedicti; quorum saltem stipendiatorum numerus etiam pacis tempore necessarius & expediens reputatur. Si vero processu temporis Nobis aut Successoribus nostris, vel Sedi Apostolicæ videretur, quod plures stipendiarii necessarii forent, dictum Commune teneatur illis, quotquot fuerint, de stipendiis juxta taxationem præhabitam providere, qui omnes ponantur semper per ipsum Vicarium, quem pro tempore nomine ipsius Ecclesiæ ibi esse contigerit. Quod si etiam Nobis, aut Successoribus, vel Sedi prædictis videretur, non fore necessariam huiusmodi Equitum, & Peditum quantitatem, volumus, ut juxta nostræ, & Successorum ipsorum vel Sedis prædictæ voluntatis beneplacitum ipsorum numerus minuatur & si forte Nobis vel Successoribus aut Sedi præfatis videretur expediens, quod prædictorum stipendiatorum quantitas esset minuenda, vel etiam augmentanda, huiusmodi diminutio vel augmentum fiat juxta nostræ, vel Successorum, aut Sedis ipsorum beneplacitum voluntatis, sicut de Stipendiatorum numero augendo vel minuendo superius est expressum.

§. 18. Per dictum quoque Vicarium stipendia de pecunia recipienda ab illis, qui deputati fuerint ad levandum medietatem prædictam dicti Communi nomine, vel etiam aliunde, unde dictum Commune voluerit, dictis stipendiariis persolvantur: que si forte tunc non sufficerent, per Potestatem, Antianos, atque Consilium de consensu, & voluntate Vicarii antedicti, vel quod etiam usque ad finem dicti Triennii huiusmodi faciendæ divisio servetur, quia tunc constare plenius poterit, quem modum cum honore, & utilitate Ecclesiæ Communi que prædicti fieri valeat divisio seu distributio reddituum, & proventuum prædictorum; vel etiam quod Ecclesia in perpetuum totum recipiat, & subeat sumptus huiusmodi, & expensas, nec in hoc ultimo casu aliqui de Civitate, Comitatu, vel Districtu Ferrariæ ad solvendum, aliquam Talliam compellantur; sed Ecclesia ipsa semper habeat omnes expensas huiusmodi supportare. De præmissis autem quatuor viis vos eligere poteritis, quam magis duxeritis acceptandam.

§. 19. Ceterum Judex extimatorum & duo Judices instituantur ad brevia ponenda per Vicarium nostrum in Consilio Civitatis ejusdem. Potestates vero, & Judices in Comitatu Ferrariæ, & Districtu ponendi de fidelibus ejusdem Civitatis Civibus; Custodes vero Fortalitiorum, & Castrorum, ac Capitanei undecumque; & ponantur libere per solum Vicarium supra dictum.

§. 20. Placita vero tribus diebus singulis annis in Civitate ipsa per eundem Vicarium teneantur, ita tamen quod Potestatis, & aliorum Officialium jurisdictione interim cesset omnino; reservato nihilominus, quod Nos vel Successores aut Sedes præfati possimus etiam alium quidem Vicarium ad tenendum dicta, si videbitur, deputare.

De Redditibus, expensis que ad eos exigendos.

Officiales quales esse debeant.

De Placitis.

1210. Potestas jurisdictionis quibus.

§. 21. Postremo declaramus, ut Potestas, qui in ipsa Civitate pro tempore fuerit, illam & eandem jurisdictionem habeat, quam ipsius Civitatis Potestas retroactis habere temporibus consuevit, salvis omnibus, quae superius sunt expressa. Si vero per Consilium, & Commune praefata acceptari contigerit, quod Nos, & praedicta Ecclesia Romana omnes praedictos fructus, redditus, & proventus recipiamus in totum, & medietatem condemnationum faciendarum, per Potestatem, & Officiales Civitatis ejusdem in Mobilibus habeatis; de qua medietate Ambasiatarum, Legationumque vestrarum sumptus fieri valeant, & expense. Quod si eligeritis Nos medietatem ipsorum, & vos reliquam velle percipere, tunc medietatem omnium condemnationum ipsarum sicut & aliarum volumus, & decernimus Vos habere.

Emendationem praeterea a quibus percipienda?

Clausula.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statutorum, ordinationis, voluntatum, praecipit, mandati, concessionis, stabilitatis, iussionis, declarationis, & constitutionis, infringere &c.

Datum Avinioni Tertio Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

X.

Ex Regis. Vari.

Monumentum praestitum ab Henrico VII. in Imperatorem electo Juramenti fidelitatis, & confirmatum Sedi Apostolicae Imperialium Donationum.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo Filio Henrico Regi Romanorum Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Proemium.

IN humilitatis spiritu, quae virtutum comprobatur origo, sicut Matris Ecclesiae filius, a Domino benedictus, tuae devotionis, ac fidei zelum nobis, & ipsi Ecclesiae dudum offerens, reverenter juramentum, quod tenor infra scriptarum literarum tuo pendenti munitarum sigillo continet, seriose olim in manibus dilecti filii Magistri Joannis de Mosans Scholastici Tullen., Cappellani nostri, de mandato per nos ei facto, nostro, Ecclesiae praedictae, & Apostolicae Sedis nomine recipientis, per Te Sacrosanctis Evangelis, sicut per easdem literas plene constat, tactis corporaliter praestitisti; Promittens, teque fideliter obligans cum omni efficacia & effectu, quod post Imperialis Diadematis a Te coronationem susceptam, omnia, in juramento & literis contenta praedictis, ratificares, confirmares, recognosceres, faceres, servares atque jurares: & de iis omnibus infra octo dies post coronationem huiusmodi ad perpetuam rei memoriam, ac nostram, & Successorum nostrorum, & Ecclesiae ac Sedis praedictorum securitatem, atque cautelam patentes quadruplicatas, Imperialis maiestatis Typario communitas, concederes litteras, huiusmodi literarum tuarum seriem continentes.

Ab Henrico praestitum juramentum Clementi PP.

§. 1. Quare magnificentiam Regiam paterno rogamus & hortamur affectu; quatenus ut

devotionis & fidei ac reverentiae fervorem huiusmodi cum tuae promotionis & exaltationis augmento preclara tuae Celsitudinis gesta erga nos, & praefatam Ecclesiam crevisse demonstrares, in manibus Venerabilium Fratrum nostrorum, Arnaldi Sabinen. Legati, & Nicolai Olien. Episcoporum, Nuntii Apostolicae Sedis, vel alterius eorumdem, quos ad tuam praesentiam duximus destinandos, quibusve, & cuiuslibet eorumdem in solidum iuramenti & aliorum praedictorum omnium, & singulorum receptione per nostras literas speciales commissimus, post susceptum per Te, ut praemittitur, ipsius Imperii Diadema, omnia in iuramento, & literis contenta praedictis ratifices, confirmes, recognoscas, facias, serves, ac praestes de novo simile iuramentum; Nobisque super iis omnibus, & singulis iuxta tuam promissionem & obligationem eisdem praedictis literas quadruplicatas, ejusdem Imperialis Majestatis Typario communitas, in eis tenore praedictarum tuarum literarum inserto, concedas; illasque nobis per eisdem Episcopos vel alterum eorumdem transmittas. Tenorem autem praedictarum literarum tuarum, ut de ipsis plenam certitudinem habeas, de verbo ad verbum praesentibus inferi fecimus, qui talis est.

Alii qua facti sponsores.

Henrici Litera super iis.

§. 2. Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Clementi, Sacrosanctae Romanae, ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, cum reverentia debita devota pedum oscula Beatorum.

§. 3. Ferventi desiderio cupientes, sanctitatis vestrae pedibus, & Apostolicae Sedi toto corde, & animo zelum nostrae reverentiae, fidei, & devotionis offerre; vestris sanctis monitis, exortationibus, & mandatis nos pro viribus coaptando; & honorem vestrum, ac Sanctae Romanae Ecclesiae, & aliarum Ecclesiarum jura diligere, & pro posse protegere ac servare; attendentes propensius, quod nihil est quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in Principe, nihilque est quod ita nequeat occassui subjacere quam vera Religio, & quod ad Dei timorem servandum, mandataque eius custodienda factus est omnis homo, sed praecipue Imperialis, & Regalis potestas, quae a Domino Deo est, & ad eius ministerium exequendum, ad fidem & reverentiam sui nominis dilatandam in omnes Regiones, & Regna; promittimus, & obligamus Nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, vobisque Domino nostro Clementi Summo Pontifici, vestrisque Successoribus, ac Sacrosanctae Sedi Apostolicae, & Romanae Ecclesiae, quae Ecclesiarum omnium caput est, & magistra, quod Sacrosanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, Fidemque Catholicam, fundatam super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso scilicet angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genus scitur caelestium, terrestrium, & infernorum, nec est nomen aliud sub Coelo, in quo salvari oporteat credentes, toto corde & animo, pura fide, & sancta intentione con-

Rom. Ecclesiam, & fidem Catholicam servatorem se pollicetur.

Que promittit Henricus Rom. Ecclesiae.

servabimus, reverebimur, atque defendemus totis viribus & toto posse: ac omnem haeresim & Schisma, extollemus se contra sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, exterminabimus pro viribus: & omnes haereticos, cuiuscumque sectae, & conditionis existant, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quibus Vineam Domini Dei Sabaoth perdere, & vastare nituntur; omnesque fautores, adiutores, valitores, & receptatores ac defensores eorum; & quod nullo tempore coniungemur, confederabimur, parentela, vel federe, vel unione quacunque cum quocumque Saraceno, vel Pagano, vel Schismatico Rege, vel Principe, vel quocumque alio fidei Catholicae unionem non habente; neque cum aliquo rebelle vel inimico ipsius Romanae Ecclesiae, vel de eisdem manifeste suspecto: Item, promittimus, & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod personam vestram, statum, & honorem, & Successorum vestrorum, contra quemcumque seu quoscumque homines cuiuscumque status, praesentiae, vel dignitatis existant, conservabimus, defendemus, & mantenebimus: nec non omnia privilegia Regum, & Principum, & Imperatorum Romanorum Praedecessorum nostrorum, cuiuscumque tenoris & continentiae existant, quocumque tempore concessa Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apostolicae, & quibuscumque Ecclesiis, Praelatis, & Ministris ipsarum, conservabimus, & mantenebimus; nec aliquo unquam tempore contraveniemus, vel aliquem, quantum in nobis erit, venire, permittimus, quocumque occasione vel titulo allegato juris vel facti: imo ad perpetuam rei memoriam, & Sanctae Ecclesiae securitatem, atque cautelam ipsa privilegia omnia pronobis, & Successoribus nostris ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innovamus, & de novo concedimus, prout melius & plenius possumus ex certa scientia cum omni efficacia & effectu: Volentes, ac etiam decernentes, quod ista generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo concessio perinde robor obtineant perpetuae firmitatis, ac si omnia & singula privilegiorum verba singulariter & expresse, ac de verbo ad verbum, praesentibus inserta fuissent: specialiter autem & expresse, cum omni efficacia & effectu supra dictis ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innovamus, & de novo concedimus omnia privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Ottonis IV. Frederici III., atque Rodulphi, Regum & Principum, seu Imperatorum Romanorum, quocumque tempore concessa super quibuscumque, cuiuscumque continentiae vel tenoris existant, Sanctae Romanae Ecclesiae, Romanisque Pontificibus, & Apostolicae Sedi. Promittimus etiam & obligamus Nos cum omni efficacia & effectu, omni iure & forma, quo melius & efficacius fieri potest, mantinere & conservare omnia privilegia, cuiuscumque tenoris vel conditionis existant, & nullo unquam tempore contravenire, vel aliquem, quantum in Nobis est, venire permittere, quocumque occasione vel causa vel titulo allegato juris vel facti, per quoscumque Reges vel Principes seu Imperato-

Eisdem Privilegia omnia Imperialia confirmat.

Bull. Rom. Tom III. Pars II.

res Romanos, & praecipue per supra dictos Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem Quartum, Fredericum Secundum, atque Rodulphum concessa Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicae Sedi super recognitione, innovatione, advocacy, concessione, quietatione, renunciatione & libera dimissione Terrarum, & Provinciarum Sanctae Romanae Ecclesiae ubicumque positatum; praecipue Marchiae Anconitanae cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis, & confinibus suis, integraliter cum omnibus iuribus & jurisdictionibus earumdem; Exarcatus Ravennae, & Pentapolis, ac Romaniolae, & Brettinarii; Comitatus cum Civitate Bononiae, & cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, Terminis, & confinibus, integraliter & cum omnibus iuribus & jurisdictionibus earumdem; Massae quoque, quae Trabaria nuncupatur, cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter & cum omnibus iuribus & jurisdictionibus earumdem; Patrimonii etiam Beati Petri in Tuscia cum Civitatibus Tuderti, Narniae, Urbis veteris, & Reatae, & cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis, ac confinibus, integraliter & cum omnibus iuribus & jurisdictionibus earumdem; Comitatus quoque Sabinae cum Civitate Intermannen., & cum Archevesarum, & Terra, quae dicitur Arnulphorum, cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & jurisdictionibus earumdem; Comitatus quoque Campaniae, atque Maritimae cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter, & cum omnibus jurisdictionibus & iuribus earumdem: Et ex abundantanti de novo, & ad majorem cautelam supra dictas omnes Terras, atque Provincias cum omnibus iuribus & jurisdictionibus, terminis, limitibus, & confinibus earumdem, & jus & possessionem & proprietatem ipsorum cum omni plenitudine, recognoscimus jure plenissimo ad jus & proprietatem Sanctae Romanae Ecclesiae spectare, ac omnimode pertinere: ac ipsas omnes Terras, atque Provincias de novo advocamus, innovamus, atque concedimus, quitamus libere, & dimittimus, restitimus, & renuntiamus, necnon ad omnem scrupulum removendum, & ut pax, quies, atque tranquillitas inter Ecclesiam & Imperium, jugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus augeatur, & omnis contentio & dissentionis cuiuslibet materia pracludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus, & donamus de novo. Promittentes & obligantes Nos, prout plenius & efficacius possumus, quod nullo unquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in Nobis est, permittimus, Civitates, Loca, Castra, Terras, & Provincias supra dictas, vel aliquam ipsarum vel earum partem; nec in ipsis vel aliqua ipsarum vel earum parte jurisdictionem aliquam per Nos vel per alium geremus vel exercemus; nec jura aliqua, possessiones, vel Tenutas habebimus vel possidebimus in eisdem Terris vel Provinciis vel aliqua ipsa-

Et antiquas Donationes.

R

ru

rum, seu parte earum; nec officium aliquod geremus per Nos vel per alium Potestarie vel Capitaniae, seu quocumque nomine censeatur, in ipsis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte; & quod tanquam Princeps Catholicus, Advocatus & Defensor Sanctae Romanae Ecclesiae iuvabimus ipsam, sibi que assistemus contra quoscumque occupantes, invadentes, vel turbantes Provincias ipsas, Civitates Loca Castra & Terras vel aliquam ipsarum seu earum partem; & quoscumque inobedientes seu rebelles Ecclesiae, praecipue in Provinciis Civitatibus Locis Castris & Terris eiusdem, in nullo fovebimus vel manutenebimus, seu per quoscumque foveri seu manuteneri, quantum in Nobis est, permittemus: sed contra ipsos assistemus consiliis auxiliis & favoribus oportunitate Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicae Sedis: quousque Rebelles & Subditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur: Promittentes quoque Sanctam Romanam Ecclesiam, & Ecclesias alias, ac libertatem Ecclesiasticam, & bona, iura, Praelatos, & Ministros ipsarum manutene, conservare, & pro viribus defendere: Vassallos quoque Romanae Ecclesiae contra iustitiam non offendere, & quod devotos & fideles Ecclesiae etiam in Imperio constitutos, benigne tractabimus, & contra iustitiam non opprimemus, neque per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus: sed conservabimus in iuribus & iustitiis eorumdem. Praedicta autem omnia & singula inviolabiliter observare, & observari facere, & nullo unquam tempore contravenire iuravimus ad Sancta Dei Evangelia, tacto Libro, in manibus Discreti Viri Joannis de Mosans, Scholastici Ecclesiae Tullen., vestri Capellani nomine Romanae Ecclesiae, & Sedis Apostolicae, ac vestro & de vestro Mandato specialiter recipientis: de qua etiam receptione tam per vestras praesentes, quam per ipsius Recipientis Literas seu Instrumentum publicum plene constat: Et ad praedictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Sedis Apostolicae, & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam praesentes Literas Regiae Maiestatis Sigillo munitas fecimus communiri: Promittentes & obligantes Nos cum omni efficacia & effectu, quod post Imperialis Diadematis coronationem susceptam, praedicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, & faciemus, & servabimus, atque iurabimus: & de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus Literas quadruplicatas, harum seriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem & cautelam vestram, & Successorum vestrorum, & Sanctae Romanae Ecclesiae, & Apostolicae Sedis, Imperialis Maiestatis tyario communitas.

Datum Lauanae Quinto Idus Octobris Anno Domini MCCCX. Regni vero nostri Anno Secundo.

Datum in Prioratu de Graufello prope Malausan. Vasionen. Diocesis, Decimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22. Junii 1311. P. An. VI.

XI.

Subsequitur destinatio Legatorum pro eisdem Imperatoris coronatione, eisque coronationis ritus & forma praescribuntur.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Arnaldo Sabinen., Apostolicae Sedis Legato, ac Leonardo Albanen., & Nicolao Ostien., Episcopis; & dilectis Filiis, Francisco Sanctae Luciae in Silice, & Lucae Sanctae Mariae in Via lata, Diaconis Cardinalibus, Nuntiis eiusdem Sedis Apostolicae, Salutem & Apostolicam benedictionem.

REX Regum & Dominus Dominantium, Dei clementissimus Filius, Jesus Christus, honore multiplici Reginam, praefulgidam sibi in vestitu deaurato circumamictam varietate, assistentem a dextris, sanctam videlicet Ecclesiam Sponsam suam, quam suo pretiosissimo Sanguine redemptam clementer sibi inseparabili federe conjungi voluit, honore primatus multiplicis ac multipharie praeminentie insignivit. Sed in eo potissime ipsam honorabilem & felici ac praecellenti reddidit Dignitatis statu fulgentem, quod eidem, tantam tribuit plenitudinem potestatis, ut personis quantumcumque solemnitate insignibus & praclaris, in iis possit sibi que competat adesse magnifice, per qua ipse clari nominis titulum & famosae consequantur potentiae culmen, & etiam incrementum. Dominator enim Coeli, qui solus Altissimus potestatem habet in Regno hominum, & quemcumque voluerit, suscitavit super illud, potestatem dedit ei & honorem & Regnum: potestatem inquam aeternam, quae non auferitur, & Regnum, quod non corrumpitur: ut Imperatores & Reges in ipsa & per ipsam doctrina salutari intelligant & erudiantur: Iudices Orbis Terrae eidem servire & obsequi in timore, qui imperat ventis & mari: Cuncta namque, quae in Coelo sunt, & in terra, sua sunt: suum est Regnum; ipse est super omnes Principes: sua sunt divitiae, sua gloria, qui dominatur omnibus; & in manu eius virtus & potentia, magnitudo, & Imperium omnium: sub quo curvantur, qui portant orbem. Per eum enim Reges regnant, & Principes, & Legum conditores iusta decernunt; qui habet in famoso suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium: ad cuius praecipuum elevabitur Aquila, & ponet in arduis nidum suum.

§.1. Sane dudum post electionem charissimi in Christo Filii nostri Henrici Regis Romanorum Illustris, celebratam concorditer per Regni Alamaniae Principes, in electione Romanorum Regis vocem habentes; cum imminet facienda, solemnnes dicti Regis Ambassatores ac Nuntii ad nostram praesentiam accedentes, & nobis eiusdem electionis praesentato Decreto, ad eorum instantem & devotam supplicationis instantiam, coram nobis & Fratribus nostris iteratis vicibus, & per inter

Ex eodem Rege.

Proemium.

Romanae Ecclesiae Potentia super Principes Orbis.

Henrici Regis se consensisse electionem in Imperatorem ait.

terstitia temporum repetita, praefatum Regem, quia per decreti praefati & conditionis personae ipsius, non levi notitia antea nobis & Fratribus nostris nota, examinationem coram nobis & eisdem Fratribus habitam diligenter, in quantum fieri potuit eodem absente, sufficientem ipsum idoneum & habilem invenimus ad praefatum Imperium obtinendum, ac electionem ipsam canonicam extitisse; de eorundem Fratrum nostrorum consilio ipsum reputavimus, nominavimus, approbavimus, denuntiavimus, & declaravimus Romanorum Regem iustitia exigente, ac fore idoneum sufficientem & habilem ad dignitatem Imperialis celsitudinis obtinendam.

§.2. Pronuntiantes insuper ac etiam decernentes, sibi per nostras manus loco & tempore oportunitate debere concedi unctionem, & ipsius Imperii diademata, certum ad hoc ei terminum assignant.

§.3. Cumque postmodum Rex praefatus Italiae partes fuisset potenter ingressus, & a Lombardia Civitatibus aliisque Locis insignibus, ad qua declinaverat, honorifice & pacifice iam receptus, alii praefati Regis Ambassatores & Nuntii ad Apostolicae Sedis praesentiam accesserunt, qui cum multa nobis instantia inter caetera supplicarunt, quod cum ipsi patenter adverterent, sicut eis iam per nos super hoc responsum extiterat, quod propter generale Concilium, quod in Kalendis Octobris proxime venturi disposueramus, dante Domino, & disponimus celebrare; aliaque multa & ardua plurimumque urgentia, qua necessario in Citramontanis partibus expedienda nobis negotia incumbant tunc temporis, & incumbunt, praedictam unctionem & Imperii Diademata, aliaque solemnia per nostras manus Regi non poterant memorato concedi, terminum ipsum sub spatio temporis brevioris concludere: ipsamque unctionem & Imperii Diademata, caeteraque solemnia per aliquos de Fratribus supradictis in Feste Pentecostes tunc proxime futuro impendi facere dignaremur.

§.4. Nos vero praedictis Nuntiis receptis mansuetudine consueta, & iis & aliis, qua coram nobis voluerunt proponere, diligenter auditis, eis certo modo duximus, respondendum; eiusdem Regis, super hoc cum praedictis Fratribus nostris diligenti deliberatione praehabita, nihilominus desideriis annuere intendentes; & quia propter temporis nimiam breviteratem in dicto Feste Pentecostes solemnitatem unctionis & coronationis huiusmodi non posset fieri credebamus; nec Rex ipse in praefato Feste sibi, ut ejus decebat honorem, de apparatu ad hoc necessario potuisset forsitan providere, significavimus ei per nostras literas speciales, ut tanti arduitate negotii diligenter inspecta, & considerata prudenter temporis qualitate, aliquem certum & solemnem diem, prout crederet convenire, post festum praedictum eligeret, ipsumque nobis significare, illius deliberatio non differret: ut infra diem ipsam aliquos de Fratribus supradictis, de quibus Apostolica deliberatio provideret, quibus unctionis eiusdem munus impenderent, & imponerent vice nostra praefatum Diademata Imperii, ac alia ini-

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

bi agenda solemnia peragerent, mitteremus; dilectos filios Magistros Robertum electum Salernitanum, & Hugonem Geraldii Cantorem, Petragoricen. Cappellanos nostros, ad eundem Regem super iis cum eisdem nostris literis destinantes, per quos sibi paternae sinceritatis affectum, & mentis Apostolicae puritatem, quos ad status ipsius & exaltationem magnificam habebamus, mandavimus clarius aperiri.

§.5. Verum Rex praefatus, super hoc mature deliberatione praehabita, Festum Assumptionis Beatae Virginis proxime venturum pro termino ad recipiendum in Basilica Principis Apostolorum de Urbe more solito unctionem huiusmodi, & ipsius Imperii diademata, aliaque inibi solemnia peragenda recepit, prout Nobis per solemnes suos Ambassatores ac Nuntios & speciales Literas intimavit, suo Regali Sigillo pendenti munitas; cum multa devotionis instantia supplicans per eosdem, ut ad eum aliquos mitteremus de Fratribus memoratis pro impendenda unctione huiusmodi, & imponendo sibi eiusdem Imperii Diademata, aliisque solemnibus peragendis. Porro si desuper datum esset, ut circa tanti celebritatem negotii exhiberi posset nostra praesentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi praesentiter nostrum desiderium panderemus, ad quod etiam eiusdem Regis concurrunt, ut pro certo novimus, cum promptitudine multiplicis devotionis affectus, gauderemus in Domino, & plurimum satisficeret nostris votis. Verum quia ex causis praedictis non possumus in hac parte, affectibus satisfacere mentis nostrae, praedicti Regis frequentibus & devotis supplicationibus, inclinati, & ad personas vestras Apostolicae mentis oculis fiducialiter dirigentes, vobis quorum Nobis sunt nota virtutes, quasque in magnis & arduis dicta Sedes diversis vicibus est experta, & de quorum operibus fructus uberes provenisse conspicimus, super hoc nostrae sollicitudinis onus duximus imponendum: sperantes, quod tanquam viri virtute magnifici opus huiusmodi viriliter assumetis ad Divini Nominis laudem & gloriam effectualiter exequentes.

§.6. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die Assumptionis praedictae personaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, tu Frater Nicolae Ostien. Episcopo Missam celebres, & Regem inungas eundem; Vosque Fratres Albanen., Ostien., & Sabinen. Episcopi; Vosque Franciscen., & Luca Diacconi Cardinales, vel illi vestrum, qui praesentes fuerint, eidem Regi & Reginae Mitras & Diademata Imperii; Regi quoque sceptrum, pommum, & gladium, & alia solemnia, prout infra patentius & distinctis vobis injungitur, tribuatis; eorumque vertices inclytos reddatis illorum insignis cum solitis solemnitatibus decoratos: In nomine ac virtute Altissimi prudenter, honorifice, ac etiam diligenter, prout decet tam arduum & solemne negotium, quod vobis committimus, nostris vice & nomine exequentes in dicto Feste Assumptionis, si poteritis comode, vel alio certo convenienti die, quem idem Rex ad hoc pro qualitate negotiorum

Designat Henricus Assumptionis B. V. diem.

Pontifex sui loco Cardinales ad peragendam pompam deligit.

Inter eos coronandi Henrici maniera partitur.

